



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 37. Comes mortuus, Ludovicus XI. ejus hæres

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. ingenti pompa in Ecclesia S. Mauritii ter
 A.C. 1480. ræ mandabatur.

§. XXXVI.

*Carolus Cenomanensis Comes Renatus
 hæres.*

Cum Renatus adhuc in vita superstitis
 quinque Filios tresque Nepotes ami-
 sisset, hinc omnium regnorum atque bo-
 norum suorum hæredem instituit Caro-
 lum Calabriæ Ducem, Cenomanensem
 Comitem Caroli fratris sui filium. Hab-
 lucinantur ergo quidam Auctores, qui
 Ludovicum XI. testamenti tabulis hære-
 dem fuisse nuncupatum testantur, quam-
 vis, cum Comes haud diu hæreditatem
 possideret, Rex paulopost Provinciam
 suo imperio adjunxisset.

§. XXXVII.

*Comes mortuus, Ludovicus XI. ejus
 hæres.*

Cum Carolus Cenomanensis Massiliam
 contenderet, ut Provinciæ possessio-
 nem acciperet, anno sequenti millesimo
 quadringentesimo octogesimo primo ibi-
 dem e vivis ereptus est; priusquam vero
 animam redderet, Ludovico XI. cum-
 ctisque ejusdem Successoribus Galliarum
 Regibus omnes suas ditiones testamento
 relin-

Sæcul. XV.

A.C. 1480.

reliquit, impense eidem commendans, ut Rex Provinciæ omnes libertates, prærogativas, privilegia, & consuetudines omnino fartas tectasque tueretur. Huic supremæ voluntatis sententiæ oblucebatur Renatus Lotharingiæ Dux, Iolandæ Andegavensis filius, eoquod contenderet in sui præjudicium Regem ad hæreditatem testamento vocari non posse. Ex adverso Ludovicus se ex legis præscripto legitimum hæredem fuisse nominatum credebat, eo potissimum nomine, quod Provincia juxta patrias leges in tabulis scriptas regeretur: secundum eas vero unicuique integrum esset, pro suo arbitrio quemquam bonorum suorum hæredem facere; præterea addebat, nil solemnus fuisse cunctis Provinciæ Comitibus, quam exclusis foeminis masculos ditionum suarum successores scribere. Hæc rationum momenta Palamades de Forbino, Soleariensis prope Tolonium Dynasta Carolo Ceromanensi Comiti, cujus animum pro suo arbitratu flectebat, tanto verborum pondere exponebat, ut Comes se Ludovicum XI. hæredem nominaturum sponderet, cumque promisso fides constaret, Palamades in obsequii præmium Provinciæ præfectura ad vitæ suæ dies decoratus est.

Fourbin. de
souliees

§. XXXVIII.

Hist. Eccles. Tom. XXX.

D